

1493 Cibo, Innocentii Pontificis ante se Maximi filio, oppidum Anguillariam in Sabatini lacus ripa, quod erat in Pontificum Maximorum ditione, abestque ab urbe **XVI.** millia passuum, nulla facta sibi ab ipso ejus rei potestate, coemisse: quoniam Virginius a Ferdinando fovebatur, ne quid facere invitus cogeretur: Carolum & ipse ad id suscipiendum bellum hortabatur, vindicandi sese de adverso suis rebus suæque dignitati rege causa. Quas ad res omnes etiam illud adjungebatur, quod ex Gallis principibus iis, qui apud Carolum auctoritate gratiaque pollebant, nonnulli rerum Italicarum, Romanique Pontificis, qua erat iter faciendum, occasione amplissimis sacerdotii dignitatibus sese iri auctum, & honestatum confidebant: alios exercituum, & regendorum populorum, quos essent subjecturi, spes & cupiditas incendebat. multi etiam sua levitate & novarum rerum studiis movebantur, ut regem ad profectionem impellerent.

*Ingens au-
torum
exundatio
in Gallia
cispalpina.*

Interim autumni mensibus tota fere citeriore Gallia ejusmodi tempestates, tamque continentis pluviae fuerunt, ut in Bergomatium finibus aqua denos quinos pedes præter consuetudinem excreverit, ædificisque quam plurimis dirutis, ac pontibus lapideis abreptis, magnum puerorum & mulierum, magnum etiam virorum numerum repentina impetu oppresserit. Neque in Brixianorum finibus flumina non ingentem stragem ediderunt. Athesis quidem cum Veronæ urbis magnam partem pervasisset, & complures domorum parietes subruisset, etiam pontem firmissimum medio in oppido dejecit. Medoacus & ipse ripas non uno loco transgressus, optimam Patavini agri partem illuvie vastitateque fœdavit. Padus omnino utriusque ripæ vicinitates ita est depopulatus, ut omnia luctu & mœroribus impleverit. atque hanc quidem esse quasi deorum immortalium significationem, quæ Gallorum in Italiæ adventum portenderet, omnes pene homines interpretabantur, & prodigii loco ducebant: erantque permulti, qui maxime ad Venetos, quod eorum regionibus & oppidis aquæ magnum detrimentum intulissent,